De Varrone Reatino
auctore in Georgicis a Vergilio expresso

scripsit

Ioannes Morsch
DR. PHIL.

Ex symbolis
Regii gymnasii Berolinensis quod appellatur 'Realgymnasium' ad sacra sesquisaecularia celebranda editis
exemplar typis separatim expressum

Berolini
Typis A. G. Haynii heredum
MDCCCXCVII

Nihil crescit sola imitatione.
Quintil. inst. orat. X 2, 8.

Poetas antiquos in condendis carminibus priorum scripta maiore cum licentia atque audacia quam nostros imitatos esse, quisquis vel exiguam operam in litteras veteres et recentiores cognoscendas impenderit, facile ni fallor intelleget. Duplex autem erat ratio imitandi: ut omittam Graecos, quorum poësin genuinam esse verisimile est, Romanorum scriptores inde a Livio Andronico usque ad obmutescentium litterarum tempora, penitus imbutos Graecorum doctrina et in operibus vel Homeri vel poetarum scaenicorum vel Alexandrinorum summo studio versatos, ipsorum libros composuisse, iam ab antiquis interpretibus observatum et postea a viris doctis tot argumentis confirmatum est, ut iam 'pueris decantatum' esse videatur. Romani autem ut Horatianum illud:

'Vos exemplaria Graeca
Nocturna versate manu, versate diurna'

numquam neglegebant, ita patrii sermonis poetarum opera, a quibus eadem vel similia tractata erant, de industria inspiciebant, sive quod ab eis ad sua poemata exornanda aliqua lumina petebant sive quod compluribus versibus ad verbum translatis res mutuabantur. Altero quidem modo imitationis nostros quoque usos esse patescit, quippe qui, alienigenas poetas Graecos Romanos Britannos Francogallos imitandos sibi proponentes, omnes deinceps ab Opitzio ad Goethium et Schillerum, quamquam non tam plenis quam veteres manibus ex illis delibabant, ad sua carmina conficienda aggrederentur, cuius rei documenta proferre supersedeo nisi quod unum Schillerum testem cito ad Goethium scribentem:

'Und auf der Spur des Griechen und des Britten
Ist er (der deutsche Genius) dem bessern Ruhme nachgeschritten.'

Alteram vero viam imitationis principes nostrarum litterarum prorsus repudiasse neque vernaculae poesis opes tam copiose et libere exhausisse, quotus quisque inveniri potest qui nesciat? Nam si quis eorum eodem, quo Romanis licebat, modo[1]) se applicavisset ad exempla

[1]) De imitationis licentia ad quam veterum poetae ut Vergilius progredi non verebantur, conferas Macrobii Saturnaliorum librum sextum, ubi quantum ille ex Ennio, Lucretio, Naevio, Accio etc. vel 'traxerit vel surripuerit', fusius est dictum (cf. Vahlen, Über Ennius und Lucretius. Sitzungsberichte der Akad. d. Wiss. zu Berlin 1896, 32). Alios locos aliorum poetarum collegit Fr. Harder (Die Fragmente des Maecenas. Progr. Berlin 1889 pg. 18), quorum hosce iam ab editoribus laudatos rursus apponere mihi liceat: Catull. 51, 5: 'dulce ridentem' = Hor. c I 22, 23: 'dulce ridentem'; Catull. 62, 42/44: 'multum illum pueri, multae optavere puellae etc' = Ovid. Metam. III 353/55: 'multum illum iuvenes, multae cupiere puellae etc.' — Catull. 8, 11: 'perfer, obdura' = Hor. serm. II 5, 39: 'persta atque obdura' = Ovid. Tristia V 11, 7: 'perfer et obdura' = Ovid. Amores III 11, 7: 'perferre obdura'. Denique notissimum illud Horatii 'Exegi monumentum aere perennius' etc = Ovidii 'Iamque opus exegi, quod nec Iovis ira nec imber' etc. — Macrobius quidem de tali imitatione disputans iam alienigenas et domesticos poetas discreverat. Ex recentioribus vix quemquam de hac re disputasse ad hunc diem in universum, valde est mirum. Unus Fr. Harder, qui rem nisi paucis absolvere non poterat, dicit: 'Man dachte damals über die Entlehnung ganzer Verse ganz anders als jetzt . . . . Bei einer Poesie, deren Verdienst wesentlich stilistischer (?) Art ist, kann das eben besonders nicht auffallen, und unsere mittelhochdeutsche Kunstdichtung liefert dafür die schlagendsten Analogien etc.' — cf. Max C. P. Schmidt, Wochenschrift für klass. Philologie 1889 pg. 453: 'Der Begriff des litterarischen Eigentums mufste ebensogut erst erfunden werden, wie so viele andere uns völlig geläufige Begriffe.'

superiorum, iste quin in vituperationem vehementissimam acerbissimamque contemptionem et aequalium et posteritatis venisset, vix quisquam in dubium vocaverit. Nos autem cavere velim, ne poetis veterum nimis crimini id demus, quod in hac re aliter ac Germani se gerebant; nimirum mos ille, quo ex libris aliorum poetarum domesticorum flosculos excerpebant excerptosque suis inserebant, erat usitatissimus neque inconcessus, atque scriptores tantum aberat, ut hac re se infamiam sibi conflaturos putarent, ut eos quorum aemuli exsisterent honore et decore augere et tollere sibi viderentur.

Inter omnes poetas Augusti aetatis, qui aliorum auctorum vestigiis insistentes et externorum et domesticorum iter ad Parnasum tentarunt, Vergilius primum obtinet locum. Quod autem totum Homerum, Apollonium Rhodium, Theocritum hodie in manibus habemus, facultas nobis data est oculis ipsorum nostris diiudicandi, quid in carminibus Graecis illis debeat, quid addiderit e suo penu inventa, id quod minime perspicere possumus apud Horatium Tibullum Propertium alios propter ruinam graecorum lyricorum, e quibus Horatius pendet, et magnam quam fecimus iacturam poetarum Alexandrinorum, ut Callimachi Euphorionis, Propertii Tibulli exemplarium, ut Bionis aliorumque philosophorum, quos Venusino in satiris praesto fuisse magna cum specie probabilitatis Ricardus Heinze[1]) Lipsiensis nuperrime demonstravit. In Georgicon quidem libris Vergilio sors aeque felix atque Horatio obtigit: nam cum in eis imitatus sit inprimis poetas Alexandrinos, quorum nihil nisi exilia et tenuia fragmenta exstant, semper quod erunt qui in hoc carmine Graecis eum non obnoxium fuisse contendant, non est cur mireris, quamquam Nicandri Colophonii *Γεωργικὰ* plurima ei suppeditavisse in dissertatione mea Halis Saxonum 1878[2]) edita ipse ostendebam. Secus res se habet in latinis auctoribus Vergilii. Ennii Lucilii Varronis saturas magna ac dolenda oblivione vetustas obruit et paene exstinxit, ut ex earum depravatis et, ut ita dicam, mutilatis fragmentis nemo certum iudicium facere possit, utrum Horatius multa ex illis sumpserit an pauca; atque etiamsi opera Varronis Atacini, unius ex multis auctoribus Vergilii, ad nos non pervenerunt, tamen quod Lucretii carmen totum et Varronis Reatini tres libri de re rustica scripti adhuc supersunt, nobis illos cum Vergilio comparantibus de indole nativa Mantuani iudicare semper licuit semperque licebit. De Lucretio, quamvis in genere dicendi Vergilii auctore utilissimo, cum disputare huius loci non sit, ad Varronem Reatinum, utpote prosae orationis scriptorem, poetam in exarandis Georgicis refugisse negabam;[3]) nam ex puero consuetus vita rustica et paternum praedium administrans magnam agriculturae experientiam habuisse ipse existimandus est; quare igitur alios adire debebat? At J. van Wageningen abhinc paucos annos in libro bonae frugis pleno[4]) Reatinum auctorem principalem Vergilii constituere conatus est. Quem hanc disceptationem non ad finem perduxisse iam hanc ob rem arbitror, quod in libri tertio capite (de auctoribus quos Vergilius in Georgicis expressit) cum ceterorum tum Varronis locos magis minusve similes ad suum quemque Vergilii versum collocare sibi satisfecit. Quae cum ita sint,[5]) separatam dissertatiunculam de necessitate inter Varronem et Ver-

[1]) cf. Richard Heinze. De Horatio Bionis imitatore. Dissert. Bonn. 1889.

[2]) H. Morsch. De Graecis auctoribus in Georgicis a Vergilio expressis. pg. 43 sqq. —

[3]) cf. in dissertatione mea pg. 84 et in censura quam de libro Wageningii feci in 'Wochenschrift für Klass. Philologie'. 1890 Nr. 40.

[4]) Jacobus van Wageningen iunr. De Vergilii Georgicis. Ultraiecti ad Rhenum 1888. 191 pp.

[5]) Primus ut opinor Joh. Heinrich Voss in commentario Georgicon librorum Varronis similes locos nec non ceterorum agriculturae scriptorum Catonis Columellae Geoponicorum (quorum editio nova in lucem prodiit anno 1895 a Beckh curata) permultos in usum convertit; praeter Wageningen, qui Vossii divitias se adhibuisse in praefatione ipse testatur, hic nominandus est Reitzenstein, qui in dissertatione 'de scriptorum rei rusticae libris

gilium intercedente conscribere haud scio an operae pretium sit, quam cum nova proferat non multa — nam de messe ab aliis collecta saepius me partem rursus demere conscius sum — publici iuris nondum fecissem, nisi sacra sesquisaecularia nunc celebranda a gymnasio nostro quod appellatur 'Realgymnasium', me quoque quasi praecipitem ad carceres raperent ostentaturum, quid possem, quid non.

In hac autem quaestione tractanda eum sequi ordinem mihi proposui, ut primum amplioris spatii partes Varroniani operis quae Vergilii ante oculos versabantur, cum Georgicis conferam, deinde eos locos addam, quibus etiam verba consentiunt — quos expectabis perpaucos — tum perlustrem eos qui vel similes vel aequi, res quod spectat, nominari possunt (talium numerus satis magnus erit); eos excipiant nonnulli horum, quibus poeta a solutae orationis scriptore discedit;[1]) agmen claudant loci quidam Serviani commentarii, ex quibus nondum in usum vocatis a viris doctis etiam multa, quae ad ipsam agriculturam non pertineant, in Georgicis ad Varronem redire nemo non intelleget.

Ac primum quidem mentionem faciamus versuum illorum quibus initio totius operis poeta deos, inprimis agrestes, invocat, quam invocationem legenti Varronis similium precum cuivis in mentem venire consentaneum est, praesertim cum prosae orationis scriptor etiam ab eadem exordium libri capiat. Vergil. Geo I 5 sqq.: 'vos o clarissima mundi Lumina, labentem caelo quae ducitis annum, Liber et alma Ceres, vestro si munere tellus Chaoniam pingui glandem mutavit arista, ... Et vos agrestum praesentia numina, Fauni, Ferte simul Faunique pedem Dryadesque puellae, ... tuque o . . . Neptune; et cultor nemorum . . . Pan, ovium custos . . . o Tegeaee favens . . oleaeque Minerva Inventrix . . . . . uncique puer monstrator aratri . . . . Silvane . . . Dique deaeque omnes, studium quibus arva tueri . . .' Varro r. r. I 1, 4—7.[2]) 'et quoniam ut aiunt, dei facientes adiuvant, prius invocabo eos, nec, ut Homerus et Ennius, Musas, sed, duodecim deos Consentis, neque tamen eos urbanos, quorum imagines ad forum auratae stant, sex mares et feminae totidem, sed illos XII deos, qui maxime agricolarum duces sunt. Primum, qui omnes fructos agriculturae caelo et terra continent, Jovem et Tellurem . . . Secundo Solem et Lunam, quorum tempora observantur . . . . . Tertio Cererem et Liberum, quod horum

deperditis' (Berlin 1884) rem strictim tetigit, in adnotatione pg. 20 u. 21 octo fere locos Varronis cum Vergilii libri tertii versibus nonnullis comparans. Hos secutus Schanz in historia litter. Romanarum (II pg. 35) Varronem nonnisi libro tertio a vers. 51 usque ad v. 413 poetam ante oculos habuisse declarat. Qui cum imitationis fines nimis contraxerit, alii longius extendisse mihi videntur, ut Sidgwickius in editione Cantabrigiensi (a. 1885): 'M. Terentius Varro of Reate, de re rustica, is clearly the most important source of Vergil's knowlegde; its traces appear all through te Georgics'. A quo seorsum sentire videtur E. Stampini (le Georgiche di Virgilio, libri I e II. Torino 1884) scribens pref. pg. VII: mentre per molte altre notizie aventi relazione coi precetti virgiliani ho assai di frequente avuto ricorso a Catone, Varrone, Columella, Plinio ed altri antichi scrittori, le cui opere possono in molta parte servire di ottimo commento ai versi del nostro poeta. — Ceterum iam antiqui commentatores Varronem auctorem Vergilii Georgicon appellant; quorum quidem auctoritas etsi non nimis valet, tamen ne indiligentior esse videar, quae in scholiis de Varrone auctore leguntur, saepius addam. cf. Servius in prooemio comm. in Georgic, Probus (ed. Keil) pg. 1: 'Scripsit Georgica . . . . . Hesiodum et Varronem secutus'. Identidem in adnotationibus interpretum et scholiorum, ut Bernensium (Jahn, suppl. IV. pg. 673), Varronis loci nobis occurrunt sive fontes Vergilianae notitiae sive ad explanandos versus appositi. De adnotationibus Servii cuius nomine omnia Servii Philargyri aliorum complector quae inveniuntur apud Thilo (Servii Grammatici qui feruntur in Vergilii Bucolica et Georgica commentarii rec G. Thilo. Lipsiae 1887), intra latius disputandum erit. Scholiorum Bernensium perpaucas adnotationes raro, Probi praeter unam numquam commemorabo. —

[1]) Quos in paucissimos redactos ne longus essem sub textu qui dicitur dissertationis collocabam.

[2]) M. Terentis Varronis rerum rusticarum libri tres rec. H. Keil. Lipsiae 1889. —

fructus maxime necessari ad victum . . . . . Quarto Robigum ac Floram . . . . item adveneror Minervam et Venerem, quarum unius procuratio oliveti, alterius hortorum . . . . Nec non etiam precor Lympham ac Bonum Eventum . . . iis igitur deis ad venerationem advocatis ego referam sermones etc.' Vergilius igitur precatur, se ut adiuvent clarissima lumina mundi, i. e. Solem et Lunam, Liberum, Cererem, Faunos, Dryadas, Neptunum, Panem, Minervam, Silvanum, ceteros deos agrestes; Varro invocat Jovem, Tellurem, Solem, Lunam, Cererem, Liberum, Robigum, Floram, Minervam, Venerem, Lympham, Bonum Eventum. Vides apud utrumque praeter quinque — Solem Lunam Cererem Liberum Minervam — longe alios deos induci; sed animadvertere te velim, quanto etiam in his invocandis uterque differat. Sol et Luna, a Varrone breviter nominata, circuitu eloquendi a Vergilii dicuntur 'vos, o clarissima mundi;' Liber et Ceres, ut ait Vergilius, leguntur retrorsus apud Varronem. Sola Minerva, Vergilii 'oleae inventrix', est Varronis, altera dearum 'quarum unius procuratio oliveti.' Neque vero te summa fallat: diserte Varro declarat eos deos quibus Homerus et Ennius supplicent se non invocaturum esse i. e. graeca numina; Vergilius Graecis totus deditus Cererem Dryadas Neptunum Panem initio carminis precatur Romanorum indigenis deis posthabitis; nequiquam igitur apud eum requires Robigum Floram Lympham Bonum Eventum. Tamen nisi Varro exemplum edidisset, Vergilius a similibus precibus carmen sine dubio numquam inchoasset.

Neque aliter iudicandum est de versibus Geo II 136, ubi Vergilius laudes Italiae canit; hic etiam omnes fere editores Varronem auctorem merito adducunt, cf. Geo II 136: Sed neque Medorum, silvae ditissima, terra Nec pulcher Ganges atque auro turbidus Hermus Laudibus Italiae certent . . . . . Sed gravidae fruges et Bacchi Massicus umor Implevere; tenent oleae armentaque laeta . . . hic ver assiduum atque alienis mensibus aestas; Bis gravidae pecudes, bis pomis utilis arbos. . . . . Adde tot egregias urbes operumque laborem, tot congesta manu praeruptis oppida saxis Fluminaque antiquos subterlabentia muros etc. etc. . . . . Haec genus acre virum, Marsos pubemque Sabellam adsuetumque malo Ligurem Volscosque verutos Extulit, haec Decios, Marios, magnosque Camillos, Scipiadas duros bello et te, maxume Caesar' . . . . . cf. Varro r. r. I 2, 3—7 sqq. 'Cum consedissemus, Agrasius, Vos, qui multas perambulastis terras, ecquam cultiorem Italia vidistis? inquit. Ego vero, Agrius, nullam arbitror esse quae tam tota sit culta'. Conferas cum cetera tum § 6: 'Contra quid in Italia utensile non modo non nascitur, sed etiam non egregium fit? Quod far conferam Campano? Quod triticum Apulo? quod vinum Falerno? Quod oleum Venafro? non arboribus consita Italia, ut tota pomarium videatur? sqq.' Varronem et Vergilium de eadem re diversissima ratione disputavisse nemo non videt. Falleris si apud poetam quicquam de farre Campano, tritico Apulo, vino Falerno, de oleo Venafro, apud Varronem quicquam de urbibus Italiae, de viris illustribus patriae quaesieris. Hac una re congruunt, Italiam esse fertilissimam et cultissimam terram, quod sita in 'temperatiore parte' natura caeli optimi et saluberrimi praedita sit. Nec nihil profecto viderunt qui Varronem poetae ansam praebuisse putant, ut carmini venustam illam digressionem insereret.

Atque hic longius quam ceteri progrediar. Nam idem Varro cum nostro loco Eratosthenem[1]) testem adducit, poetam movit, ut supra Geo I 233 sqq. Graecum ipsum in zonis describendis consuleret. Ceterum hi tres Eudoxum, primum harum rerum doctorem, sequentes probe sciunt regionem illam terrae caliginosam, frigore et glacie horridam; cf. Eratosthenis

[1]) cf. Varro I 2, 3: 'primum cum orbis terrae divisus sit in duas partes ab Eratosthene maxume secundum naturam, ad meridiem versus et ad septemtriones . . . . neque mirum, quod sunt regiones inter circulum septemtrionalem et inter cardinem caeli, ubi sol etiam sex mensibus continuis non videtur. itaque in oceano . . . .'.

verba:[1]) *αἱ δύο μὲν γλαυκοῖο κελαινότεραι κυάνοιο . . . . . οὐ μὲν ὕδωρ, ἀλλ' αὐτὸς ἐπὶ οὐρανόθεν κρύσταλλος κεῖ*[2]) *γαῖαν κρύπτεσκε· περίψυκτος δὲ τέτυκται*, a Vergilio expressa vers. I 235: 'quam circum extremae dextra laevaque trahuntur Caeruleae, glacie concretae atque imbribus atris etc.', nec non a Varrone adumbrata: 'itaque in oceano in ea parte ne navigari quidem posse dicunt propter mare congelatum', ad quae poeta postea respexisse videtur in victu Scytharum depingendo Geo III 355: 'Sed iacet aggeribus niveis informis et alto Terra gelu late . . . .' cf. III 365: Quin etiam de Eratosthenis *πέντε ζώναις*, quas Vergilius versibus: 'Quinque tenent caelum Zonae . . .' reddit, iam Varro dixerat in satura quae inscribitur 'Dolium aut Seria': 'Mundus domus est maxima homulli Quam quinque altitonae fragmine Zonae cingunt, per quam limbus . . . . . .'[3]) (cf. Sueton. Reifferscheid pg. 193 sqq.).

Ut hic poeta Eratosthenis carmen, cui titulus est 'Hermes', in usum convertit, ita Geo II 380 sqq., 'Erigonae' eiusdem doctrinam amplexus videtur esse. Alexandrinus enim de Icario, inventore culturae vineae et totius artis scaenicae tamquam chorego, exponens causam, cur caper Baccho immolaretur, hanc adiecit, quod ille folia vitis modo satae decerpsisset;[4]) eandem rem Varro commemorat r. r. I 2, 18/19: eae enim omnia novella sata carpendo corrumpunt, non minimum vites atque oleas: itaque propterea institutum . . . ., ut ex caprino genere ad alii dei aram hostia adduceretur, . . . sic factum ut Libero patri, repertori vitis, hirci immolarentur, proinde ut capite darent poenas'. Eandem rem legimus Geo II 380: 'Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris Caeditur et veteres ineunt proscaenia ludi Praemiaque ingeniis pagos et compita circum Thesidae posuere atque inter pocula laeti Mollibus in pratis unctos saluere per utres'. Sed cum res illa singularis tum maxime totum in quo adfertur argumentum verss II 380 sqq., velut primordia ludorum scaenicorum, *ἀσκωλιασμός*, hircus praemium, ad Eratosthenis 'Erigonen' mihi referendum videtur. Poeta igitur in duobus locis et in zonis et in principiis artis tragicae describendis non in Varonnis libris acquiescens ad Graecum auctorem se contulit. Alio vero loco (Geo III 113. cf. infra pg. 73) ubi Erichthonius primus quadrigarius inducitur, Vergilium non ex Eratosthene ipso, sed ex patrii sermonis scriptore, cuius auctor et hic Alexandrinus ille erat, doctrinam suam arcessivisse credibile est.

Brevius autem perstringamus Geo I 121 ubi Vergilius auream Saturni aetatem effinxit, Hesiodum nonnullis locis imitans. Quamquam hic explicatio Varronis II 1, 3 ab omnibus fere editoribus laudatur, tamen paucissimi Varronem ipsum evolvisse videntur. Vergilius enim quantis commodis Saturni temporibus peractis homines orbati sint, summo colore illustrat, de mari tranquillo, de foliis melle fluentibus, de rivis currentibus vino verba faciens. Ubi nam, quaeso, similia in libris de re rustica leguntur? Varro discernit tres gradus vitae humanae secundum

---

[1]) cf. Hiller, Eratosthenis carminum reliquiae. Lips. 1872.

[2]) sic dubitanter coniecit Hillerus.

[3]) Haec verba a Probo ad Verg. ecl. (Keil pg. 18) allata nunc exstant apud Riese (frgta satur. Menipp. 1865 et Bücheler (Petronii etc. frgta pg. 172 nr. 92).

[4]) Ernst Maass. Analecta Eratosthenica 1883. pg. 61 et 114/115. Robert. Eratosthenis catasterismorum reliquiae 1878 pg. 6/7, — Hygini (Astron. ed. Bunte 1875 pg. 34/35) verba sunt inter alia haecce: . . . . 'dicitur hircus in vineam se coniecisse et quae ibi tenerrima folia videret, decerpsisse; quo facto Icarium irato animo tulisse eumque interfecisse et ex pelle eius utrem fecisse, ac vento plenum praeligasse, et in medium proiecisse suosque sodales circum eum saltare coegisse. itaque Eratosthenes ait: *Ἰκάριοι τόθι* (cf. Hiller l. l. pg. 105/106) *πρῶτα περὶ τράγον ὠρχήσαντο*. — Ceterum conferas Diomedem grammaticum III. pg. 487 (Keil): hircus . . . . qui . . . . Libero patri ob hoc ipsum immolabatur, quia, ut ait Varro, depascit vitem . . . . . et Vergilius in georgicon secundo, cum et sacri genus monstrat et causam talis hostiae reddit his versibus: 'non aliam ob causam' etc. cf. Sueton. Reifferscheid pg. 6/7. —

Dicaearchum: 'gradum naturalem (§ 3), vitam pastoriciam (§ 4), agriculturam (§ 5), quorum omnium οὐδὲ γρῦ ad poetam manabat. Tantum verba, quibus gradus naturalis declaratur: 'cum viverent ex eis rebus, quae inviolata ferret terra', similitudinem quandam praebent cum v. 128: 'tellus omnia liberius nullo poscente ferebat.' Verum tales sententiae iam ab antiquissimis temporibus ex Hesiodo (opp. v. 117): 'καρπὸν δ' ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα αὐτομάτη' poetis traditae erant, ut omnes cum omnibus communes haberent. Quod si attento et integro animo haec intuiti erimus, ut Vergilium imitatorem Varronis apellemus, nullo modo fieri poterit, sed hoc unum statuemus, idem quod iam supra, nonnisi impulsore Varrone aureae aetatis imagine a poeta carmen exornatum esse.

Nihilominus paucis Varronis locis cum Vergilio nunc comparatis ad sententiam, ut opinor, adducemur, poetae Georgicon libros scribenti Varronis opus certe praesto fuisse. Conferas velim Geo III 335: 'tum tenuis dare rursus aquas et pascere rursus solis ad occasum', cum Varrone II 2, 10: 'aere vespertino rursus pascunt ad solis occasum', ubi de eadem re agitur. Verba talem praebent consensum, ut de Vergilii imitatione vix dubitari possit. Idem valent Geo III 170 'illis iam saepe rotae ducantur inanes' = Varro I 20, 2: 'quos ad vecturas, item instituendum ut inania primum ducant plaustra.' — Geo III 440: 'morborum quoque te causas et signa docebo' = Varro II 1, 21: 'enim advertendum quae cuiusque morbi sit causa, quaeque signa earum causarum sint.' — Geo II 378: 'nec tantum . . . . . . quantum illi nocuere greges durique venenum Dentis . . .' = Varro I 2, 18: 'quaedam enim pecudes culturae sunt inimicae ac veneno, ut istae . . . . . caprae.' Fortuito accidisse putas, ut Varro et Vergilius in iisdem rebus (in morbis pecorum describendis et in damnis, quae dentes capellarum segetibus dant) eadem divisione eademque similitudine uterentur? — Huc spectat quod uterque, cum de ariete nigrae linguae removendo dicit, idem vocabulum adhibet, Geo III 389: 'illum autem . . . . . nigra subest . . . . cui lingua . . . . reice' = Varro II 2, 3: 'itaque . . . maiores nostri . . . , reiciebant.' Denique quod ambiguum videtur Geo II 261: 'aquiloni ostendere glaebas' = Varro I 25: 'qui locus optimus vino sit et ostentus[1]) soli', ubi eandem elocutionem notatu dignam legimus. — Consensionum ad verbum factarum numerum me non explevisse haud ignoro, quia quin alii alias indagaturi sint, mihi nequaquam dubium est.

Age nunc eos locos Varronis et Vergilii consideremus quibus uterque agricolis idem praecipit; atque eorum non pauci insunt in Vergilii libro tertio, quo de re pecuaria agitur; ordinem versuum retinentibus plerumque nihil aliud nisi hoc nostrum erit quam poetae versus iuxta prosae orationis scriptorem ponere et inscriptionibus indicare, quibus de rebus uterque disputet. Utilissimum erit autem leviter tangere, quo materiam uterque digesserit, praesertim cum iam a Varrone ipso libri II dispositio II 1,12 explanata sit. Postquam enim initio de pastorali origine, dignitate, scientia dictum est, Reatinus § 12 sqq. pluribus versibus dispositionem explicat, quam ne totum locum adiciamus, numeris significabimus: prima pars § 2—4 de minoribus pecudibus (de ovibus § 2, de capris § 3, de suibus § 4), altera § 5—7 de pecore maiore (de bobus § 5, de asinis § 6, de equis § 7), tertia de eis, quae non parantur, ut ex eis capiatur fructus, sed propter eam aut ex ea sunt (de mulis § 8, de canibus § 9, de pastoribus § 10). 'Harum una quaeque pars in se generalis partis habet minimum novenas[2]). Ita exsistunt partes octoginta et una,

[1]) cf. Heriodi v. 612 praeceptum notissimum.

[2]) 'quarum in pecore parando necessariae quattuor (de cognitione aetatis, formae, seminii uniuscuiusque pecudis, iuris in parando), alterae totidem in pascendo (de pastione, de fetura, de nutricatu, de sanitate) quibus additur nona pars generalis utriusque partis communis: de numero. cf. Varro r. r. II 1, 12, 13, 14, 15, 16, 24.

una. Cum autem Atticus, unus ex colloquentibus II 1,25 recte admonuerit, novenas istas partes non exire extra pecoris minoris et maioris nomen, quod in mulis et pastoribus nec ad missurae nec feturae observantur, 'lacuna duplex ista expletur disputatione de tonsura et *τυροποιία* (lacte et caseo) § 11, quae postrema libri secundi est. Quae si omnia oculis subiecerimus, nonnulla Vergilio usui fuisse clarum erit; eius enim poemate agitur III 49—285 de equis et bobus, 286—403 de ovibus et capris, ubi 386—403 de lana et lacte aliqua leguntur; III 403—413 de canibus agitur, III 414—439 de anguibus depellendis, 440—473 de morbis pecorum sanandis, qua re optima fit transitio ad digressionem illam amplissimam libri, quae est in pestilentia Norica describenda. Vergilii igitur carmen, quo materia, quae in Varronis libro II 4, 6, 8, 10 est, prorsus omittitur, quandam similitudinem nisi cum §§ 2, 3, 5, 8, 11 non habere necesse est. At nunc singula videamus; quae quidem quam brevissime stringere liceat, praesertim cum vel in editionibus vel in libris supra laudatis hae consensiones inveniantur. Vergilius et Varro bonae vaccae dant signa eadem cf. Geo III 51—71 = Varro II 5, 7;[1]) docent eadem de tempore ad admissuram aptissimo cf. III 60—62 = II 5, 13 et II 1, 13. — Maiorem autem consensum exhibent praecepta de equis data, cf. de iuba Geo III 86 = II 7, 5; de duplici spina III 87 = II 7, 5; de equis ad pugnam idoneis III 77 = II 7, 6; Geo III 80 = II 7, 5 (ventre modico), III 88 = II 7, 5 (ungulis duris), postremum de regionibus, quibus equi nobiles nascuntur, Geo III 90 = II 7, 6 (equi Thessalici.[2])

Rerum quae praecipiuntur a poeta de cultura equorum et boum, duae tantum similes sunt Varronis, conferas Geo III 184 = II 7, 12; III 170 = I 20, 3 et fabulam *ἱππομανίας*;[3]) etiam multa quae deinceps in poemate dicuntur de ovibus et capris, ex Varrone manaverunt, cf. de stabulis Geo III 295 = 2, 7; de tempore pascendi III 323 = 2, 10; de optimorum arietum forma et signis (lingua nigra), de pabulo (cytiso). Quod autem attinet ad canes, poeta cum priore non consentit nisi in Geo III 404 = II 9, 2, de generibus canum, et de alimento III 405, 406: Pasce sero[4]) pingui = II 9, 10, (panem . . . . in lacte des intritum). Clariora vestigia Varronis imitationis reperiuntur in Geo III 440—475, quibus morbos pecorum tractat; nam illum sequens non solum causas et signa discernit — ex quinque causis Varronis poeta eligit duas — sed etiam eadem fere remedia commendat, oleum III 448 = II 1, 23, picem III 448 = II 11, 7, sanguinem demissum III 452, 55, 59 = II 1, 23.[5]) Quorum versuum tenor maxime dignus est, quo paullulum commoremur; ubinam apud Varronem legimus sulfure, elleboro, bitumine nigro corpora tonsorum perfundenda esse? Hic quidem fit, ut poeta multo plura praecipiens res singulas fusius et copiosius persequatur quam alter; aliis vero locis utrumque contra fecisse monere vix opus est.

Iam locos similes Varronis libri tertii Vergiliique quarti per comparationem excutiamus, ubi uterque de re apiaria disputat. Ne multa, poeta et prosae orationis scriptor concinere

---

[1]) Varronis et Vergilii verba ipsa afferre non poteram, ne fines spatii plagularum mihi concessi transgrederer.

[2]) Quae succedunt versibus 123—137, quomodo equi 'pecori duces et mariti lecti' curandi sint, a Varrone II 1, 17 multo differunt.

[3]) Jam ab Aristotele traditam, cf. hist. aninalium (ed. Schneider 1811) VI 17, 4—5.

[4]) A sĕri (Molke) vocabulo derivatur nostrum 'Heilserum', quod ut 'Héilsĕrum' - vulgo auditur 'Heilsérum' — pronuntietur, nos admonet prima syllaba correpta. — Idem vocabulum in *ὀρος* invenitur iam apud Homerum, qui serum ad vires corporis redintegrandas maximi esse momenti haud ignorat; vide quod Melantheus, pastor caprinus, suadet Ulixi macerato Odyss. XVII. 225 '*καί κεν ὀρὸν πίνων μεγάλην ἐπιγουνίδα θεῖτο.*' —

[5]) Geo III 452 = Varro II 1, 23; remedium idem est, sed ille e capite, hic ex ungulis sanguinem profluere vult. (Varro: demittitur sanguis, maxime e capite.)

videntur de sede alvearium Geo IV 18 = Varro III 16, 27; de lapillis in aqua iacentibus IV 26 = III 16, 27; de herbis circa alvearia serendis IV 30 = III 16, 13 (serpyllon), de rebus quae removent apes, velut de odore caeni IV 49 = III 16,6, de imagine IV 50 = III 16, 12, de ratione qua apes in alvearia alliciantur, velut melisphyllo (apiastro) et cymbalorum sonitu IV 62 = III 17, 22 et 7.[1])

Denique Varronem et Vergilium de origine apium consentire maxime est attendendum. Apes ex putrescentibus boum cadaveribus nasci ne Varroni quidem ignotum est, cf. Varro III 16, 4; 'primum apes nascuntur partim ex apibus, partim ex bubulco corpore putrefacto. Itaque Archelaus in epigrammate ait eas esse

βοὸς φθιμένης πεπλανημένα τέκνα,

idem

ἵππων μὲν σφῆκες γενεά, μόσχων δὲ μέλισσαι.'

Tamen qui ex hoc Varronis indicio coniecturam capiat, poetam hanc ob rem permotum esse, ut Aristaei digressum carmini adderet, ei adstipulari non ausim; bipartitam enim illam divisionem ('partim ex apibus, partim ex bubulco corpore putrefacto') ut poeta plane scit cf v. 55/56, ita non adhibet. Totam fabulam de origine apium, omnibus fere gentibus notam (cf. Scripta sacra. Test. vet. Lib. Iud. cap. 14) a Reatino tam leviter attactam, Mantuanum ex uno de Alexandrinis, velut Nicandro Colophonio, pleniore manu hausisse pro explorato habere possumus; atque hac in re verba Graeci auctoris, quem tumidum et gravem saepe fuisse fragmenta docent, Hyginus, ab Augusto bibliothecae Palatinae praefectus, 'paedagogus Vergilii in Georgicis' interpretatus videtur esse.[2])

Etiam multo pauciora vestigia Varronianae doctrinae quam in tertio et quarto indagaveris in Vergilii libro secundo et primo. Nam in libro primo nisi in explicanda soli varietate atque in vitium colendarum disciplina similia non occurrunt.

Idem docent Vergilius et Varro de 'ingeniis arvorum' Geo II 177, 184 = I 9, 5, de vitibus furcillis sublevandis nec non in quincuncem redigendis, quae res usitatissima ab hodiernis quoque vindemiatoribus adhibetur; qualia non nimii momenti esse quin mecum facias, vix dubitatur; sed maioris momenti putanda sunt quae iam supra p. 70 . . . adnotavimus Geo II 378

[1]) De ceteris consensionibus, quas inter utrumque intercedere plerique opinantur, nescio an iure ambigere possimus, velut Geo IV 96 = III 16, 20; IV 71 = III 16, 9, velut de apium victu, examinibus, proeliis, civitate et societate quasi humana, de quibus iam Macrobius VI 6 extr. iudicavit.

[2]) Ita intellegi velim Columellae I 1, 12/13 verba, iam a Bunte (de C. Julio Hygini vita et scriptis 1846 pg. 10/11) tentata; 'mox Vergilium . . . . . nec postremo quasi paedagogi eius meminisse dedignemur, Julii Hygini.' Perbene Euangelus in Macrobii Saturnal. V 2, 1 admonet: 'Bene opifici deo a rure Mantuano poetam comparas, quem Graecos rhetoras, quorum fecisti mentionem, nec omnino legisse adseveraverim. Unde enim Veneto, rusticis parentibus nato, inter silvas et frutices educto vel levis Graecarum notitia litterarum?' Quae vox quamquam Graecorum non profundam notitiam poetae plus aequo deminuit, tamen habet quod non refellatur. Scilicet Homerum Apollonium alios nullo adiutore Vergilius legere poterat; sed Nicandrum, auctorem obscurum, poetam intellexisse, nisi graecus ipse interpretatus esset, quis est qui contendat? Duo argumenta non praetermittenda sunt: Cum Geo IV 63, ubi 'apiastrum' 'melisphyllum' appellatur, consentit Hyginus qui 'apiastrum melissophylon appellat' Plin. n. h. XX 11, cf. P. Rusch zu Hygins Schrift de apibus in 'commentationes Gryphiswaldenses.' 1887. Et Hyginum ipsum Nicandrum secutum esse multae res testantur, cf. Columella XI 3, 62: Hygini sententia de rapis inspergendis = Nicandri frgtum apud Athen. IX pg. 369 etc., ita ut Vergilius Nicandri imitator nominari possit et Quintiliani X 1, 56 iudicium constet. Deinde Vergilium saepius in Aeneide Hygini doctrinae, qui 'de familiis troianis', 'de urbibus Italiae' scripsit, se addixisse approbant Servii adnotationes, ut Aen. V 389; cf. O. Ribbeck Prolegg. pg. 117 sqq. cf. Reitzenstein pg. 22 etc.

= I 2, 18. Maxime autem mihi placet consensio Geo I 50 = I 4, 1; I 42 = I 27, 2, ubi Vergilii 'glaeba putris resoluta' respondet Varronis 'glaebae percalefactae.'[1])

Sed omnium libri primi versuum ei, quibus quomodo area facienda sit poeta I 176—186 explanat, maxime flagitare iam ipsi videntur, ut Varronis verba I 51 in usum voces. Atque si utriusque leges perpendes, quantopere consentiant intelleges: uterque in area statuenda metuit, ne paeminosa sit (pulvere victa fatiscat), ne herbae ex rimis progignantur (ne subeant herbae), ne mures formicae talpae solum suffodiant: itaque et ab hoc et ab illo imperatur, ut area solidanda (aequanda cylindro) et pavienda sit argilla (creta tenaci). Quibus in versibus poetae praecepta sunt subtiliora quam Varronis, qui neque cylindri neque bufonum neque curculionum facit mentionem, in ea re abundantior, quod aream amurca perfundi vult. Etsi iam a Catone, postea a Columella aliisque similia vel aequa de area traduntur, tamen Varronis et Vergilii ordo et tenor legum talis est, ut poetae librum prioris praesto fuisse pro certo statuere possimus. —

Restat denique, ut locos quosdam Servii vel ceterorum commentatorum adiciamus, qui Vergilium non tam in ipsis rebus rusticis quam in eis, quae cum his artissime cohaereant, ut astrologicis mythologicis aliis, Varronem secutum esse testantur. Quamvis hic scrupuloso difficillimoque in solo me versari ipse minime ignorem, tamen talia a me non praetermittenda sunt. Licet Servius ipse Varronis libros non inspexerit, ut luculenter demonstrant verba ad Geo IV 63: 'Varro hanc herbam apiastrum dicit in primo libro operis rustici', — non in libro primo, immo vero tertio Varronis apiastrum commemorari interpres iste scire debebat — velut Xenophontis librum oeconomicum 'fontem Georgicon' ad I 43 eundem non evolvisse in dissertatione mea[2]) coarguebam, in commentariis Probi Servii Philargyri aliorum insunt priscae doctrinae reliquiae haud spernendae, quas utique respiciamus oportet, quamquam non defuturos, qui fidem[3]) adnotationibus Servianis denegent, mihi persuasum est.

Non secus atque in Aeneïde[4]) paucae res ad antiquitates vel graecas vel romanas spectantes Vergilius in Georgicis Varroni debere videtur. Geo III 113 poeta Erichthonium primum artem quadrigis vehendi invenisse dicit: 'primus Erichthonius currus et quattuor ausus Jungere equos . . . . ' Eadem legebantur in Varronis libro qui inscribitur 'Admirabilia',[5]) cf. Servii adnot. ad h. l: 'Varro in libro, qui Admirabilium inscribitur, Erichthonium ait primum quattuor iunxisse equos ludis . . .'. Porro legimus ad Geo III 18: 'Illi victor ego et Tyrio conspectus in ostro Centum quadriiugos agitabo ad flumina currus'. Servius: 'quia ut Varro dicit in libris de gente populi romani, olim XXV missus fiebant . . . ergo 'centum currus'

---

[1]) Valde discrepant Varro et Vergilius de origine plantarum, de serendis et colendis arboribus, aliis rebus de quibus poeta libro primo disserit. Cetera quae secundum commentatores ad Vergilii versus, i. e. inde a versu 70 usque ad prognostica, ex Varrone sumpta dicuntur, eiusmodi sunt, ut comparatione vix digna nominari possint, velut Geo. I 204—310 = I 28—37; scilicet hic et illic poeta a Reatino non multum abest, velut Geo I 114 = I 36, I 97 = I 29, 2.

[2]) cf. l. l. pg. 84.

[3]) cf. Lämmerhirt. De priscorum scriptorum locis a Servio allatis. Dissert. phil. Jenenses 1890. cf. Berl. Philol. Wochenschr. 1891. pg. 46—49.

[4]) Quae in Aeneide ad Varronem sint referenda, a viris doctis multifariam disputatum est, cf. inter alios librum qui nuperrime in lucem prodiit: W. Förstemann, Zur Geschichte des Aeneasmythus. 1894.

[5]) Varro ipse ex Eratosthenis Catasterismis hoc petiisse videtur. cf. Robert l. l. pg. 98/99: *Ἡνίοχος. Τοῦτον λέγουσιν, ὅτι ὁ Ζεὺς ἰδὼν πρῶτον ἐν ἀνθρώποις ἅρμα ζεύξαντα ἵππων — ὅς ἐστιν Ἐριχθόνιος ἐξ Ἡφαίστου καὶ γῆς γενόμενος* etc. cf. Hyginus II 13; 'Hunc . . . . . nomine Erichthonium, ut Eratosthenes monstrat, quem Jupiter cum vidisset primum inter homines equos quadrigis iunxisse. etc. cf. supra. pg. 69.

secundum antiquitatem dixit, sicut etiam ad flumina. olim enim in litore fluminis circenses agebantur, in altero latere positis gladiis, ut ab utraque parte esset ignaviae praesens periculum . . . ', quae vel tertio vel quarto libro attribuuntur.[1]) Utut est, utramque rem Varro tractavit atque non solum numerum centum equorum et morem ad fluminum ripas certaminum constituendorum, sed etiam Erichthonium primum quadrigarium,[2]) postea a Plinio[3]) quoque laudatum, poeta ex Varrone mutuatus est (cf. Suet. ed. Reifferscheid pg. 338). — Etiam aliae res maioris momenti quippe rarae et peculiares Varronianae originis putandae sunt. Primi libri verss. 30 sqq. Vergilius Caesarem fautorem et laudatorem poematis implorans cogitatione sibi depingit, ut illum iam inter sidera relatum scorpionis astrum cum pietate colat chelas contrahens: 'qua locus Erigonen inter chelasque sequentis. Panditur — ipse tibi iam bracchia contrahit ardens Scorpios et caeli iusta plus parte relinquit'; ad quam imaginem singularem declarandam Servius adnotavit inter alia: 'Varro tamen ait se legisse Empedotimo cuidam Syracusano a quadam potestate divina mortalem aspectum detersum eumque inter cetera tres portas vidisse tresque vias: unam ad signum scorpionis, qua Hercules ad deos isse diceretur; alteram per limitem, qui est inter leonem et cancrum; tertiam esse inter aquarium et pisces. argute itaque eam viam et sedem tribuit Augusto, forti imperatori, quam habuit deus fortis'.[4]) Haec verba, quae, ex Varronis satura *Τριοδίτη τριπυλίῳ* (*περὶ ἀρετῆς κτήσεως*) sumpta, in verbis 'adspectum mortalem detersum' corruptela quadam haud scio an affecta sint, alioqui intellegentiae sunt obvia, atque in hac re, quandoquidem ex Romanis praeter Reatinum nemo de Hercule ad scorpionis signum viam aggrediente quicquam tradidit, poeta ex illo pendet. Quod si mecum statues, versuum veram atque integram sententiam redintegrabis. Quid enim hoc loco Scorpionis chelae sibi velint, Heynius Vossius ceteri ad h. v. improbabiliter explicant. Virginem quidem i. e. Astraeam (cf. Ecl. IV 6.), Justitiam a poeta recte induci intellexerunt, sed qui astrologorum opinionibus nixi[5]) pro chelis substituerunt libram, longe a vero aberasse videntur. Quidni, quaeso, libra ipsa, Geo I 208 commemorata, a poeta nominetur? Quidni scorpionem omiserit, sidus alias invisum?[6]) Dein editores cum hoc loco chelas scorpionis libram esse iubent, ipsi vim imaginis deminuunt atque delent: Justitiae symbola, chelas sive bracchia scorpionem prae Augusto contrahere, qui fieri poterat, ut poeta contenderet? Quibus omnibus difficultatibus mederi possis, si Varronis fabulam poetam sibi vindicasse putes: ut Hercules virtutem exercens ad deos profectus est via ad scorpionem ducente, ita Augustus cum illo comparatus scorpionem iam consecutus est, eo excellentior Jovis filio, quod etiam scorpio 'formidolosus' verens imperatorem de loco decedit, ita ut de libra Vergilium hoc loco omnino non cogitasse pro certo affirmaverim.[7])

[1]) cf. Kettner, Varronische Studien pg. 78 sed. cf. Merkel (vide infra) pg. 160.

[2]) Qua de causa quadrigis uteretur Erichthonius, adnotavit Probus in Geo III 113 pg. 60 Keil. — Numerum centenarium explicavit Vossius Servium secutus, quod dubitanter probavit Heyne-Wagner.

[3]) cf. Plinii nat. hist. VII 56.

[4]) Fragm. I apud Riese pg. 233; cf. Vahlen, coniectanea in M. Terentii Varronis saturarum Menippearum reliquias. Lipsiae 1858. pg. 213 sqq.

[5]) cf. Ideler, Untersuchungen über den Ursprung und die Bedeutung der Sternnamen. Berlin 1809. pg. 174 sqq.

[6]) cf. Hor. c. II 7, 17: formidolosus scorpio; Ovid Metam II 82. Fast IV 164: metuendus.

[7]) An Geo I 461 'denique quid vesper serus vehat' Varronianae saturae inscriptionem: 'nescis quid vesper serus vehat' (Gellius XIII 11, 1) aut: 'nescis quid vesper vehat' (Macrobius I 7, 12, qui ubique fere ex illo pendet, quamobrem a Buechelero in Petronii etc. fragmentis inscriptionis forma a priore servata commemoratur), poeta denotaverit, ut W. Ribbeckius (index auctorum ad. h. l.) opinatur, valde est addubitandum, quod illud iam sermone tritum proverbium est (cf. Liv. XLV 8, 6) et de titulo ipso inter Gellium et Macrobium ambigitur; huc accedit, quod alii codices exhibent 'vehat' vel 'ueat', alii 'ferat' cf. Liv. l. l.: 'cum, quid vesper ferat, incertum sit.'

Minus dilucidae et aptae sunt reliquae Servianae adnotationes. Vergilius Geo II 336 postquam amoenitatem veris celebravit, iis adversatur, qui dies natales mundi procreati non in vernum tempus incidisse dicant. De mundi origine Varro' in variis operibus locutus est, ut in 'Aboriginibus', in '**Κοσμοτορύνῃ**'. Si autem ex libris de r. r. II 1, 5 sqq. ubi legimus: 'homines et pecudes cum semper fuisse sit necesse natura' sqq. usque ad § 5 colligere licet, Varro Vergilii fuit vix eadem sententia. De vere perpetuo, prima aetate mundi fulgente, mundum non natum aut procreatum esse, sed sempiternum fuisse, verba allata documento sunt; itaque Vergilii non solum 'crescentis' origo mundi' (v. 315), sed etiam totum argumentum versuum 335 sqq. cum aliis tum Varroni repugnat. Quamquam igitur Servii adnotatio; 'Varro autem in satura quae inscribitur de salute sici[1]) mundum haud natum esse neque mori', habet fundamentum quo nitatur, tamen quid sibi velit ad Geo II 336, non intellego.

Quae sequuntur adnotationes Servii cum Vergilii versibus parum sunt contextae quam ut eas diligentius perpendamus; sed ne quae desiderentur, apponam. Cum ad Geo I 43: 'Vere novo . . .' legimus: 'Varro epistolicarum quaestionum inter mensem Februarium, qui tunc esset extremus, et inter calendas Martias, quae tunc erant primae'[2]) (scil: anni principium habere voluit) aut ad Geo II 478 . . . 'lunaeque labores': Varro in Cynistore eclipsis quando sit, cur luna laboret . . . ' quid talia, quaeso, ad illustrandos versus Vergilii, per se perspicuos, opus sunt? Idem sentio de adnotatione ad I 275: 'aut atrae massam picis urbe reportat', ubi apud Servium pauca de diebus nundinalibus ex Varrone proferuntur, et ad II 168: 'Marsos pubemque Sabellam', huc commentator ex satura 'Age modo' aliqua incommode congerit. Eiusdem modi est adnotatio ad Geo III 24 et II 201, quae magis ad Servii ipsius verba quam Vergilii declaranda aptae sunt.

Talibus omissis Servii adnotationes ad meram agriculturam pertinentes nobis sunt examinandae. Atque primo obtutu valde mirabimur, quod earum numerus est perpaucus: eae enim sunt septem, quarum non nauci habemus hasce: ad Geo I: 21 'dique deaeque omnes' leguntur inter cetera: 'in libris pontificalibus, qui et nomina deorum et rationes ipsorum nominum continent, quae etiam Varro dicit', quae ubi apud Varronem exstent, frustra quaeres; porro cum initio commentarii legimus de divisione rustici operis: 'unum Hesiodi librum divisit in quattuor, quod ratione non caret; nam omnis terra, ut etiam Varro docet, quadrifariam dividitur', habere videmur quo referamus cf. Varro de r. r. I 5, 3: 'Scrofa, Agriculturae, inquit, quattuor sunt partes summae'; sed quae nunc enumerantur partes[3]) cum Vergilii georgicon librorum ordine (I de agricultura II de arboribus III de re pecuaria IV de re apiaria) commune omnino nihil habent. Ut hoc loco Servium Varronem ipsum in manibus habuisse optimo iure negamus, ita ne eiusdem quidem verbis ad v. I 43 iam supra commemoratis: 'Xenophontem scripsisse etc. etc. . . . sicut etiam de georgicis Magonis Afri Catonis Varronis Ciceronis . . . multa transtulit' quicquam attribuimus. Itaque praeter adnotationem ad Geo IV 63 de apiastro = melisphylli herba et ad III 273 de *ἱππομανία* (cf. supra pg. 71) inquirendum est de hisce: Geo I 270 'rivos deducere nulla Relligio vetuit'; Servius: 'sane sciendum, secundum Varronem contra religionem esse si vel

---

[1]) Ita recte distinxit Vahlen. coniect. pg. 196 secutus Probi in Verg. bucolica adnotationem 6, 31 pg. 18 Keil Ceterum sententiam Varronis, non verba ipsa Servium afferre clarum est. cf. Diels, Doxographi Graeci pg. 198 adnot.

[2]) cf. Merkel pg. 79.

[3]) Varro r. r. I 5, 3: prima cognitio fundi, solum partesque eius quales sint; secunda quae in eo fundo opus sint ac debeant esse culturae causa; tertia quae in eo praedio colendi causa sint facienda; quarta, quo quicque tempore in eo fundo fieri conveniat.

rigentur agri vel laventur animalia festis diebus: nymphae enim sine piaculo non possunt moveri'. Quo libro Varro hoc vetuerit, tenuissima coniectura nescio an assequamur, quia in libris 'divinarum rerum' eum id negasse inde colligere licet, quod Servii doctrina ad I 315 ex eodem libro fluxit; Vergilius Geo I 315: 'frumenta in viridi stipula lactentia turgent' et Servius: 'sane Varro in libris divinarum dicit, deum esse Lactantem, qui se infundit segetibus et eas facit lactescere',[1]) quibus locis a Varrone poeta dissentit.

Quomodo autem in re grammatica quod attinet ad usum quorundam vocabulorum, Varro et Vergilius inter se discrepent, ut perspiciatur, nonnullas Servii adnotationes expromamus. A Varroniano sermone poeta discedit in usu generis, de quo Reatinus disseruit in libro XI de lingua latina (cf. Willmanns pg. 151), cf. Geo III 1 'Te quoque, magna Pales . . . ' et Servium: 'hanc Vergilius genere feminino appellat, alii, inter quos Varro, masculino', cf. Scholia Bernensia ad h. l., simili modo Geo I 183: 'capti talpae', III 539 'timidi dammae.[2]) Porro 'ingluvies' vocabulum poeta adhibet non propria notione, quam Varro statuit cf. Geo III 431: 'ripisque habitans hic piscibus atram Improbus (scil. anguis) ingluviem . . . explet' et Serv.: . . . 'Varro ad Ciceronem in libro XXIII ingluvies tori, inquit, sunt circa gulam, qui propter pinguedinem fiunt atque interiectas habent rugas. Sed nunc pro gula positum'.[3]) Aliis vero locis Servius nugari videtur, cf. Geo IV 265: 'mellaque arundineis inferre canalibus' et Serv.: 'Varro divinarum libro VI 'canales eas dipescit[4]) templa' feminino genere canales dixit', at ex Vergilii versibus de sexu 'canalis' vocabuli nihil concludere possumus. Neque nimia fides danda est adnotationi ad Geo I 150 ('ut mala culmos Esset robigo'): 'sed haec res abusive robigo dicitur, nam proprie robigo est, ut Varro dicit, vitium obscenae libidinis, quod ulcus dicitur' cf. Schol. Bernens. Tamen apud Varronem ipsum 'abusive' hoc vocabulum dictum est, de lingua latina (ed. Andr. Spengel 1885) VI 16 'Robigalia dicta ab Robigo; secundum segetes huic deo sacrificatur ne robigo occupet segetes'. cf. de r. r. I 1, 6.[5]) Postremo poeta voces quasdam raras et oblitteratas quae a Varrone non alienae sunt, repudiat, ut 'musmonem', cum Geo III 446 de ariete loquitur: 'udisque aries in gurgite villis Mersatur . . . ' cf. Serv.: 'musmonem dicit ducem gregis, quem ita et Varro commemorat' cf. Schol. Bernens., vel cum Geo I 186 legimus: 'populatque ingentem farris acervum Curculio . . '[6]) cf. Serv.: 'Varro ait hoc nomen per antistoechon dictum, quasi gurgulio quoniam paene nihil est nisi guttur' cf. Schol. Bernens., similiter quod iam supra commemoravimus, Varronis 'apiastrum' (IV 63) non in usum vocat nec 'cilicia' (III 313: saetasque comantis Usum in castrorum') cf. Serv.: 'et aliter: usum in castrorum, quod inde tormenta fiunt, itemque cilicia,[7]) quae Celsus ait retulisse ideo sic appellari, quod usus eorum in Cilicia ortus

---

[1]) cf. Merkel, praef. in Ovidii fastos pg. 187, ubi verba attribuuntur libro quartodecimo Varronis 'rerum divinarum.'

[2]) cf. Hor. carm. I 2 'pavidae damae', ubi 'dama' exhibet genus femininum, non masculinum, ut apud aequalem poetam; cf. Serv. ad Bucol. VIII 28 et Aen. V 122.

[3]) cf. Willmanns pg. 167, ubi exstant in libro XIII operis 'de lingua latina' inscripti.

[4]) Verba corrupta apud Merkel l. l. pg. 124; neque minus depravata est Servii adnotatio ad Geo I 75 de ala culmo dicto, cf. Thilo ad h. l. et Willmanns (de M. Terentii Varronis libris grammaticis Berlin 1864) pg. 170.

[5]) Eadem notione apud Hor. carm. III 23, 7 'nec sterilem seges Robiginem.'

[6]) cf. Willmanns pg. 223 fragmentum enumerat postremum sub inscriptione 'incertae sedis'; de 'antistoecho' vide eundem.

[7]) cf. Cicero in Verrem II 1, 38 et Asconium ad h. l., Liv. XXXVIII, 7 'nunc ciliciis praetentis, nunc foribus raptim obiectis.'

sit' cf. Varro r. r. III 11, 12: tondentur, quod magnis villis sunt, in magna parte Phrygiae, unde cilicia et cetera eius generis solent fieri. Eodem modo pro 'tabano',[1]) saepius a Varrone usurpato, ut r. r. II 5, 14, poeta dicit 'oestrum, *οἶστρον*' cf. Serv. ad. h. l. Qualia ut vocabula vitaret, Vergilium metrica ratione identidem commotum esse, luce est clarius. —

Sed iam subsisto; sperans fore ut ex singulis commentationis partibus unicuique appareat, quale exemplum Varro fuerit Vergilio, utrumque comparantium hoc e memoria cadere nolim, poetam, ubi Varronem sequeretur, saepius se addixisse Graecis, ubi Graecorum vestigia premeret, interdum non ex eis ipsis arcessivisse doctrinam, sed iam a popularibus commendatam et translatam; nam ut Varronis Atacini poema (cf. Serv. ad Geo I 375 et W. Ribbeck, ind. auct.) Vergilium ad Aratum, Hyginus ipse ad Nicandrum duxit, ita Varronis Reatini opera ei ad Eratosthenis libros evolvendos ansam dedisse videntur. —

Quandoquidem autem magnopere timendum est, ne lucubratiunculae meae cum oleum tum antiquitatem nimis redolentes taedium legentibus pariant, pauca quaedam, priusquam finem faciam, ad Varronis et Vergilii opus illustrandum in universum disputare liceat. Nam Georgica quicumque aperto pectore perlustraverit, ei imprimis placere atque arridere adseveraverim. Neque enim inanis verborum sonitus nec nimia exornatio ex fabulis petita nec gravium tumidarumve sententiarum pondus, quae vitia in veterum carminibus ut in Aeneide non immerito saepe reprehenduntur, laudem et gloriam rustici poëmatis imminuunt, sed Georgicis, quia res ipsae describuntur, subest vera vis et natura illa, quae nostrorum poeticis legibus postulatur; omnia fluunt in eis, moventur, vivunt, omnia habent non minus sanguinis et carnis quam nervorum et lacertorum, ut vix ullum carmen latinum arbitrio his diebus existimantium magis satisfaciat. Quid? quod praedicem et laudem, quanta venustate et amoenitate materia per se exilis et ieiuna sit perpolita et quasi perfusa? quid dicam in Georgicis, quibus argumentum tam aridum tractatur, inveniri nihil fere duri, horridi, inconditi? Quin etiam, quisquis Mantuani carmen didacticum opinione non praeiudicata legerit, is procul dubio sentiet, quantopere multi versus quippe quibus amor naturae et desiderium solitudinis montium silvarumque spiret et ardeat, nostro iudicio aesthetico conveniant; nonne versus III 336: 'solis ad occasum, cum frigidus aëra vesper Temperat et saltus reficit iam roscida luna Litoraque alcyonem resonant, acalanthida dumi',[2]) cuivis quamvis teretibus auribus praedito aeque sonant ac loci qui dicuntur romantici apud poetas nostros?[3]) Horatii illud: 'Molle atque facetum Vergilio adnuerunt gaudentes rure Camenae' omnibus hodie optimo iure constat.

Etiam magis quam Mantuanum legendum proponam Reatinum. Nonnulla apud eum exstant, quae ad sententias recentiorum accomodatae sint: ut omittam quam in patriis fabulis et

---

[1]) Apud Varronem r. r. II 5, 14 occurrit 'tabānus' vocabulum; 'itaque quod eas aestate tabani concitare solent.' Ascoli Mediolanensis (Kuhns Zeitschr. XII 435 sqq.' tria haec vocabula: *οἶστρος* tabanus (lingua quae nunc vocatur italiana: táfano) Bremse (= brennende) nihil aliud significare nisi 'urentem ferientem' accuratissime explicans, apud Romanos 'tabanus' vulgari sermone usurpatum esse merito contendit, quam ob rem poeta graecam vocem praetulit.

[2]) Ut apud Vergilium, ros luna cantus avium (scil. lusciniae) praedicantur a G. de Boddien carmine illo pervagatissimo, cuius modos fecit A. Rubinstein: 'Es blinkt der Thau in den Gräsern der Nacht, der Mond zieht vorüber in stiller Pracht, die Nachtigall singt in den Büschen'.

[3]) cf. Geo II 490: fortunatus ille, deos qui novit agrestes . . . . . Illum non populi fasces, non purpura regum Flexit. etc. cf. Schiller, Braut v. Messina: 'Wohl dem! Selig mufs ich ihn preisen, der in der Stille der ländlichen Flur' u. s. w. cf. Geo II 519 sqq. 'venit hiemps. . . interea dulces pendent circum oscula nati . . cf. I 291, cf. Geo II 323 de laude Veris; 'avia tum resonant avibus virgulta canoris'.

moribus investigandis, in reliquiis antiquitatum latinarum perscrutandis et colligendis,[1]) in satirarum carminibus componendis se praebuerit poetam vere romanum, ad rationes in arte medicina ab eo adhibitas nos animum attendere velim. Legentes, ut Corcyrae versatus postquam pestilentia mortifera exorta est obstructis pestilentibus — auster causa fuit — novis fenestris aquilonem inmittendum curaverit,[2]) in suspicionem duci nos non necesse est, Varronem quod medici huius aetatis de origine morborum nuper docuissent iam coniectura prospexisse? Id certissimo argumento probatur quod legimus de r. r. I 12, 2 cum dicit de situ idoneo villae: 'animadvertendum etiam, si qua erunt loca palustria, et propter easdem causas et quod[3]) crescunt animalia quaedam minuta, quae non possunt oculi consequi et per aera intus in corpus per os ac nares perveniunt atque efficiunt difficilis morbos'. cf. Sueton. Reiff. pg. 238. Ecce habes doctrinam bacillorum (Bazillentheorie) quam Varro iam tum divinatus est. Qua quidem ex re maxime effici mihi videtur, a vero desciscere, qui veteres et in physicis et in medicina minime profecisse contendant; enimvero ut alii modi sanandi morbos,[4]) ita vis 'electricitatis' (ut ita dicam), quae aegros reficiat, eis innotuit; nam torpedinibus corporibus admotis et appositis, aegrotos, velut podagra et capitis dolore affectos, plagas 'electricas' accepisse invenimus in undecima compositionum Sribonii Largi:[5]) 'capitis dolorem quamvis veterem et intolerabilem protinus tollit et in perpetuum remediat torpedo nigra viva inposita eo loco, qui in dolore est, donec desinat dolor et obstupescat ea pars . . . . . Plures autem parandae sunt eius generis torpedines, quia nonnumquam vix ad duas tresve respondet curatio, id est torpor, quod signum est remediationis'. cf. compos. 102. —

[1]) cf. Cic. Acad. I 9. Quint. X 1, 95. cf. Mommsen hist. rom. III^{6}, 602 sqq. — Notationes ab eo prolatae hodie risum movere solent; Varronis est famosum illud: 'lucus eo dictus putatur, quod minime luceat' (Willmanns pg. 147), vulgo redditum, 'lucus a non lucendo'. Varro dicens 'putatur' hocce veriloquium non satis approbare videtur. —

[2]) cf. Varro r. r. I 4, 5: 'non hic Varro noster, cum Corcyrae esset exercitus ac classis et omnes domus repletae essent aegrotis ac funeribus, inmisso fenestris novis aquilone et obstructis pestilentibus ianuaque permutata ceteraque eius generis diligentia suos comites ac familiares incolumes reduxit?'

[3]) Ante 'crescunt' invenitur [arescunt], uncis inclusum etiam in maiore editione (Lipsiae 1891) a Keilio, cuius adnotationem in commentario II 2, 43/44 conferas.

[4]) cf. Wochenschr. f. Klass. Philol. 1888. pg. 104.

[5]) ed. G. Helmreich. Lipsiae 1887.